



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Conuerso, cui cattus visus est oculos claudere, cùm in choro  
dormitaret, cap. 33

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

**I**N Hemmenrode Conuersus quidā valde acediosus fuit, in choro penē semper dormitans, in cuius capite alter quidam Conuersus frequenter cattū sedere vidit, qui vt pedes suos oculis Conuersi superposuit, statim ille oscitare cœpit. Quod cū intellexisset ex relatione eius, qui hoc videre meruit, ne diutius illuderetur à diabolo, sedem stalli sui sic parauit, vt dum dormitaret in partem declinando, sedentem præcipitaret, sicque somnolentiæ dæmon per artem excussus est, & frater acediosus feruentior in Dei seruitio factus est. Hæc mihi à quodam Conuerso eiusdem cœnobiij relata sunt. Quantum dæmones illic dormitantes irrideant, ex subiecto cognosces exēplo.

**Q**uidam ex senioribus nostris, Fredericus nomine, licet alias fuerit vir bonus, de vitio tamen somnolentiæ satis fuerat notatus. Hic nocte quadam, antequam emissus esset conuentus noster, cū staret ad psalmodiam matutinarum in Hemmenrode, & dormitaret, vidit ante se, in somnis tamen, virum longum & deformem stantem, qui in manu nodum stramineum & lutosum, vnde equi terguntur, tenebat, qui cū monachum proteruē intuitus fuisset & dixisset, quid hic tota nocte stas & dormitas magna fili mulieris? ipso fimoso stramine in facie eum cecidit, mox ille territus euigilauit, & vt ictum ferientis euaderet, caput retrahendo, ad parietem durè satis illisit. Vide quanta subsannatio.

**N**Vper audiui, quod silere non debeo; In eodem monasterio monachus quidam est, qui in choro sæpe dormitat, & rarò vigilat, multum tacens, & parum psallens. Circa istum sæpe porci videntur, & porcorum grunnitus audiuntur, puto quia colligant siliquas de ore eius cadentes. **A P O L L O N I V S**: Quid sunt siliquæ, vel quid signant? **CÆSARIVS**: Siliquæ sunt folliculi leguminum, signatque verba psalmodiæ à virtute vacua, quæ somnolenti sine